



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Epitome Tribvnalis Sacramentalis Reverendissimi Patris Petri Marchantii**

**Zurmöllen, Heinrich**

**Neuhusii, 1677**

Art. 1. De Medicorum obligatione

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9734**



TITVLVS XXX.

*De Medicis et personis Medicinae deservientibus.*

Articulus Primus.

*De Medicorum obligatione.*

I. **T**Ria in Medicis requiruntur. Primum est scientia approbata, nulli enim licet absque illa officium Medici administrare, ob periculum cui infirmi exponerentur, debet etiam scientiæ adjuncta esse experientia, non enim Medicus inexpertus quantumvis doctus, admittendus est. Requirit autem scientia ista, speculationem & notitiam corporis humani, & constitutionis ac complexionis ejus: Similiter herbarum, succorum, radicum, metallorum, & aliorum quæ in Medicinis adhibentur.

2. Secundum quod in Medico requiritur est fidelitas, quæ in hoc consistit: ut fideliter primum de morbo, de causis & qualitatibus morbi, & personarum complexione inquireat: demum: magis certa, congrua  
& ef-



& efficacia, ad sanitatem consequendam medicamina adhiberi curet, fidei enim ej<sup>9</sup> infirmus committitur. Ad fidelitatem etiam Medici spectat, ut naturalibus Medicinis contentus, ad superstitiones, vanas observantias, aut artes magicas non recurat. Item: ut causas secretas morborum, quæ illi sub secreto naturali committitur, non revelet, possunt enim interdum vel infamiam vel aliud detrimentum causare. Item ad fidelitatem Medici ex præcepto divino & Ecclesiastico pertinere dignoscitur: ne volens corpori subvenire animæ noceat, quod fit, si aliquid ordinet cui annexum est mortale peccatum, V. G. ut ad humores evacuandos, mulierem extra statum Matrimonij cognoscat, ut se ipsum polluat, vel pollui se procuret, ut ad vomitum causandum inebrietur, qui similia suadent, præter peccatum mortale, pœnam excommunicationis incurrunt.

3. Tertium quod in Medico desideratur est: cura & sollicitudo diligens circa ægrotum, unde non sufficit simpliciter ægrotum visitare, ad salarium; sed tenetur ordinare



dinare de Diæta, & observatione victus, tam bene, quam de Medicinis probatis, & maxime super Pharmacopolis invigilare, ut quæ ordinantur, fideliter subministret. Item ad curam ejus spectat, observare tempus oportunum, quando æger non periclitatur, antequam adhibeat urgentia medicamenta, quæ adhibita tempore non suo, interdum aut mortem, aut periculosa symptomata causarent. Item: ut bene advertat nedum portionem medicam mulieri præscribit gravida sit, & ne per portionem procuret abortum, maxime animato fætu, in hoc enim homicidij reus convincitur. Item ad curam Medici spectat, ut ubi advertit morbum invalescentem, etiam ante periculum mortis, suadeat, ut advocetur spiritualis Medicus, qui à peccato animam curet, teneturq; ad hoc post tertiam visitationem sub peccato mortali.

## Articulus Secundus.

### *De Chirurgis.*

I. **C**Hirurgi sunt Medicinæ Ministri, & in his eadem proportionaliter requi-